

inducitur forma partis sine esse, quia non est nisi quidam respectus. Et sicut dum manet res in uno actu, illa potentia, quae est in eadem forma, quae actu esse confert, nihil acquirit illi rei, nisi respectum quemdam in natura inter rem totam et partem, ita illa essentia formae in continuo diversae naturae nihil rei ipsi acquirit, nisi respectum quemdam, qui est cuiusdam similitudinis ipsius esse actu partis et seorsum (1).

ARTICULUS IV.

DE LOCO ET SPATIO.

CONTINUATIO RERUM. Substantiae corporales, quae a quantitate habent partes extra partes seu extenduntur in partes, per proprias dimensiones occupant suum proprium locum et quoddam spatium diversum a loco et spatio ab aliis corporibus occupato. Hoc vulgo intelligitur ab omnibus, qui experiuntur, corpora per motum localem iugiter mutare locum, quem prius occupabant, ideoque rite percipiunt, unum locum esse diversum ab altero. Nihilominus velle determinare, quatenam sit natura loci eiusque habitudo ad corpora locata, res est intellectu dictaque difficillima, tum quia essentia loci habet parum de entitate et consequenter de intelligibilitate, tum quia in hac materia lusus imaginationis turbat intellectum, eumque impedit, quominus veritatem sine errore consecetur, tum vel maxime propter multiplices dissidentesque sententias eorum, qui, posthabita doctrina ab Aristotele et a veteribus Doctoribus tradita, certatim in eo adlaborasse visi sunt, ut nova, incredibilia, et e regione inter se pugnantia congererent. Cum ergo haec doctrina de habitudine loci ad corpora locata nectatur cum quibusdam mysteriis Fidei Christianae, quae respiciunt compenetrationem et multilocationem corporum, a nobis diligenter ex mente Aristotelis et S. Thomae enodanda est.

Definitio loci inquiritur (2). Locum esse profecto nesciremus, nisi compertum nobis experientia esset, corpora moveri localiter, idest de uno in alium locum prodire. Hoc notatum fuit a Philosopho qui ait: « Primum considerasse oportet, quod non quaereretur utique locus, si non motus aliquis secundum locum esset » (3). Quocirca idem Philosophus naturam loci inquirens, primo ostendit, locum existere,

(1) Cf. S. THOM. opusc. *De nat. generis*, cap. XVI.(2) De hac re cf. S. THOM. opusc. *De natura loci*, et ARIST. *Physic.* lib. IV ab initio.(3) *Physic.* lib. IV, text. 32.

et dissolvit sophismata quorundam Physicorum, qui ipsam loci existentiam negabant; deinde naturam loci investigat et eius definitionem venatur, excludendo falsas opiniones, quae aliquam veritatis speciem prae se ferre videntur. Siquidem declarat, locum neque esse materiam et formam corporum, quae sunt intrinseca constitutiva eorumdem, cum locus debeat esse aliquid intrinsecum rebus locatis, et quod possit separari a locato. Neque locus esse potest spatium dimensionatum, quod existit infra terminos corporis ambientis, quia infra terminos corporis continentis nihil est, praeter magnitudinem corporis contenti. Si enim, circumscripta magnitudine corporis contenti, esset aliquod spatium infra terminos corporis continentis, illud esset dimensionatum longitudine, latitudine et profunditate. Iam vero dimensiones sunt accidentia, idest quantitates. Ergo non possent esse in subiecto, nisi in corpore; et consequenter si esset aliquod spatium infra terminos corporis continentis praeter magnitudinem corporis contenti, dicendum foret, dari aliquod accidens sine subiecto (1).

Definitio loci proponitur. Exclusis falsis opinionibus de natura loci, accedit Philosophus ad veram definitionem assignandam, quae est huiuscemodi: locus est: *Corporis continentis terminus seu superficies seu extremitas immobilis prima* (2). Qua in definitione notandum est, genus loci contineri illis verbis: *superficies corporis continentis*: differentiam vero assignari per particulam *immobilis*: additur *prima* ad discriminandum locum proprium a loco communi. Verum immobilitas superficiei circumdantis accipienda est *formaliter*, non *materialiter*; quia locus non movetur, licet quandoque moveatur superficies corporis ambientis, quemadmodum contingere videmus in aqua fluminis decurrentis circa columnas pontis; locus enim concipitur, ut continens quiescens, in quo moventur locata, et sic vas aquam continens licet sit superficies aquam circumdans, non est locus, quia vas est aliquid mobile, locus vero est superficies immobilis, quae ambit locatum: idem dico de hominibus, qui in navi moventur ad motum navis, ideoque non dicuntur esse in navi, tamquam in loco. Cum ergo quandoque contingat, ut, mota superficie, quae ambit aliquod locatum, illud remaneat in eodem loco, sicut in flumine navis ligata ad ripam: quandoque ex adverso, ut locatum moveatur, licet circumdatum eadem superficie corporis ambientis, sicut aqua in vase mobili, vel homines in navi velificante; dicendum profecto est, immobilitatem superficiei circumdantis explicandam esse non per hanc vel illam superficiem materialiter sumptam huius vel illius corporis, sed per superficiem formaliter spectatam, prout ordinem dicit ad quaedam puncta fixa, nimirum ad centrum terrae, vel ad polos, vel ad meridianum. Hoc

(1) Cf. S. THOM. *Physic.* lib. IV, lect. 6 et *Quodlib.* 6, a. 3.(2) *Physic.* lib. IV, text. 39.

quippe pacto ipsi geographi loca determinant, idest assignando eorundem distantias a quibusdam superficiebus immobilibus (1).

Neque negotium facessit, quod nullum assignari possit punctum revera immobile, cum et terra et reliqua corpora caelestia revera moveantur; sufficit enim ad rationem loci salvandam determinare immobilitatem quandam relativam, quae habetur, si eius situs permanet idem per ordinem ad aliquid relative immobile. Demum locus dicitur superficies *prima* ne confundatur locus proprius cum loco communi; locus enim proprius est superficies, quae immediate tangit aliquod locatum; locus communis est superficies plura corpora circumdans, neque immediate ea contingens, et esse potest plus vel minus communis: sic templum aliquod dicitur locus communis omnium eorum, qui in ipso sunt (2). Quae a nobis disputata sunt de immobilitate loci sic perstringuntur ab Aquinate nostro: «Locus non solum est immobilis motu locati, sed etiam motu continentis. Propter quod dicit Philosophus, quod si navis sit in aqua fluvii, quae moveatur, magis utitur ea tamquam vase, quam sicut loco continente: de natura enim loci est, quod sit immobilis. Unde totus fluvius, qui secundum se totum est immobilis, magis debet dici locus navis, quam haec aqua, quae fluit et movetur; totus enim fluvius non est locus proprius navis, sed communis; et ideo locum proprium navis in fluvio oportet accipere per comparisonem ad totum fluvium, qui est immobilis. Est ergo accipere locum proprium in fluvio non secundum hanc aquam, quae fluit et movetur, sed secundum ordinem et situm, quem habet ad totum fluvium, qui quidem ordo et situs manet in aqua succedente, qui erat in aqua recedente respectu totius fluvii. Quamvis enim aqua materialiter fluat, tamen quia manet idem ordo et situs respectu totius fluvii, manet etiam idem locus» (3).

Falsae de natura loci sententiae. Et primo quidem nobis occurrunt, qui docent, locum esse partem spatii absoluti, quae commensuratur dimensionibus corporis locati, ideoque decernunt, locum esse aliquid praeter omnia corpora existens. Cum enim de ratione loci sit immobilitas, concludunt, locum esse partem spatii absoluti, cum in rebus nihil immobile reperitur, praeter spatium absolutum (4). Haec sententia, quae lusum imaginationis cum realitate rerum male permiscet, repudianda est. Spatium quippe absolutum nihil est, nisi ima-

(1) Cf. SILV. MAURUM, *Physic.* lib. IV, text. 41, et S. THOM. *Physic.* lib. IV, lect. 6 in fine.

(2) De divisione loci in proprium et communem, cf. ARIST. *Physic.* lib. IV, text. 14.

(3) Opusc. *De natura loci*, parum ab initio; cf. etiam *QQ. DD. De ver.* q. 1, a. 6.

(4) Huius opinionis meminit ARIST. *Physic.* lib. IV, text. 40.

ginationis figmentum, ideoque nequit constituere locum. Siquidem spatium, uti mox videbimus, re non distinguitur a corporum dimensionibus, eiusque formalis ratio habetur per considerationem distantiae inter partes dimensionum intercedentis. Hinc realis dimensio facit spatium reale, dimensio imaginata facit spatium imaginarium. Breviter: per rationem intelligimus, dimensionatum non esse nisi corpus, quia dimensiones sunt accidentia corporibus inhaerentia: idcirco aliquid dimensionatum in longum, latum et profundum, quod sit praeter corpora et constituat spatium absolutum et locum, ab eo dumtaxat defendi potest, qui inter phantasiam et intellectum quid intersit discernere minime valet.

Alii timent, locum esse aliquid intrinsecum corpori locato, nimirum eius dimensiones. Huius sententiae meminit Aristoteles (1), eamque esse falsam ostendit, cum locus debeat esse aliquid extrinsecum locato; secus enim corpora non possent moveri localiter ex uno in alium locum, sibi quae mutua vice succedere in eodem loco, nisi per mutuam commutationem dimensionum. Ex hactenus explicatis consequitur, corpus quodlibet a propriis dimensionibus mutuari tantummodo aptitudinem ad occupandum locum, non vero actualem existentiam in loco, cum ad actualem loci occupationem praeter dimensiones corporis locati, requirantur etiam dimensiones corporis ambientis, quae si deessent, corpus non esset in loco. Extrema vero corporis circumdantis, si ad ipsum referuntur, sunt mensura intrinseca, et dicuntur superficies; si vero ad corpus locatum comparantur, sunt mensura extrinseca, et dicuntur locus.

Quid ubicatio. Actualis commensuratio corporis locati cum extremo corporis ambientis dicitur *ubicatio*, et constituit praedicamentum *ubi*, quod est unum de sex principiis, et corpori tribuit denominationem extrinsecam, cum locus, ex quo denominatio resultat, sit mensura extrinseca locato (2). Commensuratio ergo substantiae locatae cum superficie corporis circumscribens est accidens illud quod dicitur *ubi* categoricum, et definitur a S. Thoma et a B. Alberto: *Circumscriptio corporis a loci circumscriptione proveniens*. Quocirca *ubi* est accidens pertinens ad substantiam per comparisonem ad extrinsecum continens, quae comparatio fit mediantibus quantitibus dimensionis corporis continentis et corporis contenti, nam sine dimensione intelligi nequit, quomodo substantia a loco circumscribatur. Ad rem S. Thomas: «Substantia locati ordinatur ad locum mediantibus quantitibus dimensionis propriis; et inde est, quod oportet, dimensiones locati commensurari loco» (3).

(1) *Physic.* lib. IV, text. 14-15.

(2) Cf. COSM. ALAM. *Leg.* q. 14, ibi ostendit, sex principia esse formas extrinsecas denominantes.

surari dimensionibus loci continentis » (1). *Ubi ergo*, uti notat B. Albertus M., non est locus, *sed in loco aliquo esse* (2).

Ubi formaliter non est nisi extrinsecum. Cum accidens, quod dicitur *ubi*, consistat in commensuratione vel circumscriptione, quae procedit a mensura extrinseca, nempe a loco, patet *ubi* formaliter sumptum, non esse nisi quid extrinsecum ubicato. Qua de re qui distinguunt inter duplex *ubi*, alterum extrinsecum, alterum intrinsecum, vel falso loquuntur, eo quod addunt, locum esse aliquid intrinsecum locato, vel saltem impropriis utuntur vocibus, si nomine *ubi* intrinseci intelligunt dimensiones locati, per quas aptum est esse in loco; denominatio enim illa non sumitur a dimensionibus locati, sed a dimensionibus locantis seu circumscribentis.

Quid spatium. Satis a nobis explicata est notio loci; sed ut res melius elucescat, aliquid breviter de spatio attingendum, cum locus et spatium sint duo maxime inter se affinia. Nomine spatii intelligimus *intervallum existens inter superficies vel partes superficiei, quae locum constituunt*. Qua ex definitione patet, spatium constitui formaliter per dimensiones corporis ambientis, quatenus in ipsis relatio distantiae consideratur. Quocirca spatium non differt realiter a loco; utrumque enim constituitur per extrema corporis circumscribentis; sed locus connotat superficiem corporis, quatenus ambit et circumdat; spatium vero connotat distantiam inter partes superficiei vel inter varias superficies, quae circumdant. Hinc sicut locus denotat aliquid extrinsecum corpori locato, sic spatium dicit aliquid extrinsecum corpori existenti in spatio; et sicut locus alicuius dimensionati constituitur per dimensiones alterius dimensionati, ita et spatium; et sicut corpus non necessario est actu in loco, sic non necessario est in spatio. Corpora localiter mota cum non possint de uno loco in alium prodire, nisi percurrant aliquam distantiam intercedentem inter partes alicuius superficiei, vel inter diversas superficies, merito ab omnibus dicuntur percurrere aliquod spatium, vel moveri in spatio. Sic spatium ex communi hominum sensu convertitur cum distantia, et indiscriminatim dicimus, inter duo loca, vel inter partes loci esse magnam vel parvam distantiam, vel magnum vel parvum spatium.

Falsi ergo sunt, qui cum Cartesio decernunt, spatium esse aliquid intrinsecum corporibus, videlicet illud reponunt in dimensionibus efficien-
tibus corpora, eodem ferme pacto ac locum aiebant, esse dimensionem locati. Ut enim alia praetereamus, si spatium esset aliquid intrinsecum corporibus dimensionatis, inintelligibile prorsus esset, corpora moveri in spatio, vel spatium implere. Ut enim realitas spatii in tuto collocetur, distinguendum est inter corpus dimensionatum, quod in spatio

(1) *Quodlib.* 7, a. 8.

(2) *De practican.* tract. VI, cap. II.

est et in eo movetur, et spatium quod repletur. Quare vel dicendum est, hoc quod repletur et in quo se movent corpora esse superficiem diversam a dimensionibus corporis replentis, vel esse aliquid absolutum distinctum ab omnibus corporibus, vel esse aliquid mere ideale. In secundo casu instauratur absurditas spatii absoluti; in tertio realitas spatii perimitur, et subiectivismo Kantiano paratur via. Remanet primum, nempe spatium formaliter constitui per superficies diversas a superficiebus corporum in spatio motorum, quatenus connotatur distantia vel inter diversas has superficies, vel inter partes unius eiusdemque superficiei.

Quid spatium absolutum? Nonnulli philosophi tum inter veteres, tum inter recentes opinati sunt, dari magnitudinem aliquam separatam ab omnibus corporibus, in qua tamquam in receptaculo quodam omnia corpora existunt et moventur, et hanc magnitudinem in longum, latum, et profundum dimensionatam, appellatam spatium absolutum. Huic falsae absurdaeque opinioni, uti testis est Aristoteles, duo occasionem dederunt; nempe et quia locus esse debet aliquid immobile, in quo corpora moventur, et quia aër, in quo corpora moventur, videtur esse aliquid incorporeum. En Aristotelis verba: « Iam vero magnum quiddam ac difficile esse videtur sumere, quid sit locus tum quia materiae et formae speciem refert, tum etiam, quia in eo, quod continet, quiescente, fit translatio eius, quod fertur; videtur enim esse posse intervallum quoddam interiectum diversam a magnitudinibus, quae moventur. Confert etiam aliquid aër, qui videtur esse incorporeus; nam locus videtur non solum terminus vasis, sed etiam quod est interiectum, tamquam inane » (1). Quibus verbis Philosophus tangit originem erroris eorum, qui commenti sunt expansionem quamdam a corporibus separatam et absolutam, aeternam, immensam, improductam, indestructibilem, quam spatium absolutum dicitur.

Ut autem de veteribus Atomistis taceamus, nimirum de Democrito, Leucippo, et Epicuro, qui atomos ab aeterno volitantes per immensum inane fabulati sunt; inter recentes diversa fuit ratio explicandi expansionem hanc praeter corporum magnitudinem existentem. Nam Newtonus et Klarkius opinati sunt, huiuscemodi expansionem cum divina immensitate confundi. Gassendus, alique eius asseclae censent, eam esse aliquid a Deo distinctum, improductum, neque corpus neque spiritum, triplici dimensione affectum. Kantius denique docuit, spatium esse formam subiectivam, per quam representamus corpora tamquam extensa; vel intuitionem puram sensibilitatis externae, ideoque non esse aliquid reale et existens. Quae tria recentium placita cum sint perspicue falsa et absurda, non egent argumentatione ut refellantur, redolent enim sive pantheismum, sive idealismum.

(1) *Physic.* lib. IV, text. 40.

Spatium imaginarium. Sicut spatium reale est realis extensio corporis ambientis, quatenus connotatur relatio distantiae inter partes superficiei; sic spatium imaginarium est extensio possibilis et imaginata. Quoniam vero superficies seu extensiones possibiles, quae si existerent, constituerent spatium reale, cogitari possunt sine terminis, nam sunt infinitae seu indefinitae; sic accedente phantasmate imaginationis conceptui possibilium extensionum, exurgit sensibilis quaedam forma spatii cuiusdam indefiniti, cui nihil subest realitatis; sed facile cum realitate confundi potest, nisi sedulo mens avocetur a phantastica representatione, et umbras a realitate secernat.

Quid vacuum. Vacuum definitur a Philosopho: *Spatium vel locus corpore privatus*, idest locus qui cum possit intra se suscipere corpus, eo caret (1). In conceptu ergo vacui innuitur non simplex negatio, sed privatio, quae connotat subiectum aptum ad habendam oppositam positionem. Sicut ergo ante creationem mundi corporei repugnabat esse spatium aut locum, ita pari ratione repugnabat dari vacuum, cum privatio nulla dari possit, si subiectum privationis deesse supponitur.

Vacui possibilitas. Secundum diversas opiniones de natura loci et spatii, sunt diversae sententiae de existentia et possibilitate vacui. Qui enim admittunt spatium absolutum, et dimensiones independentes ab existentia corporum, congruenter suis placitis admittunt, vacuum existisse ante creationem mundi, et existere post mundum creatum. Haec sententia omnino repudianda est, quippe quae innititur absurdo commento spatii absoluti. Uti enim scite disputat Aquinas: « Ante creationem mundi non fuit vacuum, sicut neque post: vacuum enim non est tantum negatio, sed privatio; unde ad positionem vacui oportet, ponere locum, vel dimensiones separatas, sicut ponentes vacuum dicebant; quorum nullum ponimus ante mundum » (2). Neque necessitas vacui deponi potest ex motu locali corporum, vel ex eorumdem condensatione vel rarefactione, uti contra veteres quosdam fuisse probat Philosophus (3).

Secunda sententia omnino opposita primae, est eorum philosophorum, qui decernunt, spatium et locum consistere in dimensionibus corporis locati, et dimensiones non differre a substantia corporum. Consequenter ad hanc opinionem iure negant ipsam vacui possibilitatem. Cartesius quippe docet, conceptum spatii vacui esse aliquod pugnantibus notis consertum; si enim spatium formaliter non differt a corpore, quod est in spatio, in perspicuis est de conceptu spatii esse conceptum pleni, quod e diametro opponitur vacuo. Haec altera sententia falsa quoque est, cum falso supponat, spatium et plenum iden-

(1) *Physic.* lib. IV, text. 57-60.

(2) 2 *Sent. Dist.* 1, q. 1, a. 5 ad 4.

(3) *Physic.* lib. IV, cap. X et XI.

tificari, quod est falsum; nam in conceptu spatii non includitur neque plenum neque vacuum, sed ab utroque praescinditur, ita ut non fiat praecisio alicuius eorum. Si enim vera esset haec Cartesii doctrina, dicendum foret, repugnare in terminis, Deum posse creare et conservare solummodo duo corpora globosa, quae se tangerent mutuo secundum aliquod punctum superficiei; nam in hac hypothesi inter alia puncta esset vacuum. Impossibilitas autem haec probari nullo pacto potest. Latenter autem paralogizat Cartesius, et impossibilia simul iugat, quando affirmat, duo corpora distantia immobiliter manentia, mutuo se tangere, si Deus annihilaret corpus interpositum, quippe quod hoc ipso inter illa non daretur distantia. Latenter, inquam, paralogizat, et quaestionem imaginatione potius, quam acie intellectus dirimit; nam illa duo corpora inter se praescinderent a conceptu distantiae vel indistantiae, quia non essent in loco et spatio communi, quod omnino requiritur ad hoc, ut duo corpora dici possint, vel distare vel non distare inter se.

Restat ergo tertia sententia conformis doctrinae Aristotelis de natura loci et spatii, quae decernit, vacuum neque necessario existere in mundo corporeo, neque pugnare cum natura loci et spatii, sed possibile esse, quippe quod locus et spatium ex suo conceptu formali extrinsece denominant locata, quae absolute loquendo possunt abesse.

ARTICULUS V.

DE CORPORUM IMPENETRABILITATE ET REDUPLICATIONE.

QUAESTIO DEFINITUR. Cum extensio seu esse dimensionatum substantiae corporalis intelligi nequeat, nisi statuatur, partes continui habere proprium situm propriamque positionem, ita ut alius sit situs unius partis et alius sit situs alterius, consequenter alia habetur proprietas a quantitate dimensiona dimanans, per quam locus occupatus ab uno corpore, vel ab aliqua parte cuiusdam corporis non possit occupari ab alio corpore, neque ab alia parte eiusdem corporis. Proprietas haec denominatur impenetrabilitas, quam veteres appellabant *antipathyam*, ἀντιπαθειαν; vis autem seu virtus, qua corpus a loco quem occupat, aliud corpus expellit, dicitur resistentia. Quod haec proprietas naturaliter inhaeret corporibus, indubium est ex ipsa experientia cui suffragatur evidens ratio petita ab ipsa notione extensionis, quae facit corpus dimensionatum in longum, latum, et profundum, vel commensuratum proprio loco.

Duplex quaestio. Corpus itaque ita est alicui loco commensuratum, ut tum tota eius dimensio commensuretur dimensioni sui loci, tum quaelibet pars suarum dimensionum coaptetur respondentibus

partibus loci. Qua ex re inferitur 1) quodlibet corpus naturaliter excludere a loco occupato aliud corpus, et partes signatas eiusdem corporis a proprio loco ultra citroque se repellere; 2) inferitur, unum aliquid corpus ratione suarum dimensionum, quibus mediantibus constituitur in loco, non posse simul occupare nisi unum locum. Haec duo ita perspicua sunt, ut potius obscurarentur, si ea probare tentarem. Nihilominus, positis quibusdam fidei documentis, duplex suboritur abstrusa quaestio; nimirum, an supernaturaliter per Dei omnipotentiam duo corpora possint sese mutuo compenetrare, simulque eundem occupare locum; iterum, an unum idemque corpus possit simul esse localiter in pluribus locis, ita ut cum eius dimensiones sint commensurate dimensionibus unius loci, possint simul coaptari dimensionibus alterius loci. Prima quaestio eo spectat, ut delectetur miraculum, quo Jesus Christus, clausis ianuis, ad discipulos ingressus est: secunda vero potissimum agitatur propter realem praesentiam eiusdem Redemptoris Jesu Christi sub speciebus panis et vini in sacramento Eucharistiae.

Quid compenetratio et reduplicatio? Duo vel plura corpora dicuntur compenetrari, quando diversae dimensiones, per quas ea corpora loco circumscribuntur, possunt simul esse in uno eodemque loco, cui coaptantur. Reduplicatio autem vel multilocatio in eo reponitur quod unum idemque corpus affectum propria quantitate, qua nequit carere, possit esse simul in pluribus locis per divinam virtutem. Qua in re auctores mire dissentiant inter se secundum diversa placita, quae de quantitate, de loco, de ubicatione amplexati sunt. Ut ergo rite solvatur quaestio, in antecessum determinanda est multiplex ratio essendi in loco, seu ubicationis; nam *ibi* non est locus, sed in loco aequaliter esse. Cum autem ubiatio sit denominatio extrinseca resultans ex coniunctione rei ad locum, diversus modus essendi in loco oritur ex diversa coniunctione locati ad locum.

Diversa ratio essendi in loco. Restrungendo quaestionem ad res creatas et finitas, aliquid potest esse in loco, vel *localiter*, vel *non localiter*, secundum quod loco applicatur per modum loci, vel non per modum loci. Applicatur autem aliquid loco per modum loci, quando dimensiones locati ita respondent et commensurantur dimensionibus loci, ut totum dimensionatum sit in toto, et pars eius in parte loci: « Dicendum, ait S. Bonaventura, quod illud dicitur esse dimensione alicubi, quod ita est in illo, quod totum in toto, et pars in parte secundum commensurationem » (1). Haec ratio essendi in loco dicitur *circumscriptiva*, quia dimensiones locati circumscribuntur dimensionibus loci, et locatum configuratur loco; nam termini continentis contactu quantitatis contingunt dimensiones

(1) In 4 *Sent.* Dist. 10, p. 1, a. 1, q. 4, solut.

locati. Uti enim loquitur Aquinas: « Locus dicitur circumscribere locatum ex eo quod in circuitu describit figuram locati, quia loci proprii et locati oportet esse unam figuram; figura autem est qualitas circa quantitatem » (1). Patet ergo, rationem essendi in loco non posse pertinere nisi ad substantias dimensionibus affectas, et quae mediantibus dimensionibus comparantur ad locum. Est autem aliquid in loco *non localiter*, quando non per suas dimensiones iungitur loco; et hoc vel quia dimensiones non habet, uti Angeli et anima humana, vel quia dimensiones habens non comparatur ad locum mediandibus suis dimensionibus, sicut contingit in ineffabili mysterio Eucharistiae (2). Primus modus essendi in loco *illocaliter*, seu incircumscriptive non excedit captum humanae rationis, quae cogitatione assequi potest, Angelos et animam humanam, quia quantitate dimensionis carent, dimensionibus loci commensurari non posse, ita ut pars coniungatur parti, et totum toti; secundus vero omnem vim humanae rationis longius supergreditur.

Alia partitio essendi in loco. Si spectetur ratio quamobrem res quaedam finita possit esse in loco, alia enascitur partitio essendi in loco, nimirum *definitive* vel *indefinitive*. Si enim res loco coniungitur ratione sui, idest vel ratione suae quantitatis, quae definitum et determinatum locum occupat, vel ratione suae virtutis, quae extenditur ad quosdam definitos terminos alicuius loci, ultra quos applicari non valet propter suam finitudinem, tunc res dicitur esse in loco *definitive*. Contra ea si res coniungi valet loco ratione alterius, idest ratione conversionis in ipsam alicuius substantiae praeesistentis in aliquo loco, remanentibus dimensionibus, quibus ad illum locum est determinata, tunc res existit in loco non *definitive*, quia non determinatur et definitur ad unum locum, sed extendi potest ad omnia loca, in quibus invenitur substantia, quae in eam convertitur. Haec tertia ratio praesentiae localis plane ineffabilis pertinet ad corpus D. N. J. Christi sub speciebus ac dimensionibus panis differt a praesentia circumscriptiva, et definitiva, et proprio nomine dicitur *ubicatio sacramentalis*. Rem ita declarat Doctor Angelicus: « Corpus Christi non est in hoc sacramento *definitive*, quia sic non esset alibi, quam in hoc altari, ubi conficitur hoc sacramentum, cum sit et in caelo in propria specie, et in multis aliis altaribus sub specie sacramenti. Similiter etiam patet quod non est in hoc sacramento *circumscriptive* quia non est ibi secundum commensurationem propriae quantitatis. Quod autem non est extra superficiem sacramenti, nec est in alia parte altaris, non pertinet ad hoc quod sit ibi *definitive* vel *circumscriptive*, sed ad hoc

(1) In 4 *Sent.* Dist. 10, q. 1, a. 3, solut. 1.

(2) De hoc mysterio cf. S. Тром. 3 p. q. 76 per totam; 4 *Sent.* Dist. 10, q. 1, a. 3.

quod incept esse ibi per consecrationem, et conversionem panis et vini » (1).

Exinde elucescit, praesentiam definitivam non opponi contradictorie praesentiae circumscriptivae, uti quidam falso affirmant; nam aliquid potest esse in loco, vel circumscriptive simul et definitive, vel neque circumscriptive neque definitive, vel solum definitive, vel demum solum circumscriptive. Sic corpora, quae ad locum comparantur per proprias dimensiones, sunt in loco circumscriptive simul et definitive: Jesus Christus sub sacramento non est neque circumscriptive neque definitive; idem dic de anima humana relate ad aliquam partem corporis, puta ad manum, vel caput: Angelus relate ad locum ad quem eius virtus protendi et applicari potest, est definitive et non dimensive: corpus bicubitale non est definitive in loco unius cubiti, licet aliquo modo sit ibi dimensive.

Praestat in re tanti momenti et difficultatibus plena iterum audire S. Thomam sic disserentem: « Ad hoc quod aliquid sit in loco definitive, duo requiruntur. Primum est, ut competat ibi esse ei, quia quod non est in aliquo loco, non potest loco illo definiri. Secundum est quod sit ibi, sicut in loco commensurato aliquo modo suae quantitati vel virtuti. Corpus enim bicubitale non definitur loco unius cubiti, quamvis aliquo modo sit ibi; neque anima est definitive in manu, quia est in aliis partibus, eo quod non est in manu secundum totam suam virtutem. Et ideo omne, quod habet quantitatem finitam vel virtutem, oportet quod sit definitive in loco in quo est; et ideo Angeli definitive sunt in loco, non tamen Deus. Corpus autem Christi quamvis secundum veritatem sit sub speciebus, non tamen competit ei ratione sui, quia neque ratione suae quantitat, ut dictum est, neque ratione suae virtutis, sed ratione illius quod in ipsum conversum est ibi praeesistens, cuius dimensiones adhuc manent, quibus ad locum illum determinabatur, et ideo non definitur loco illo, sed simili modo potest esse alibi, ubicumque fuerint dimensiones panis conversi in ipsum » (2). Patet ergo frustra esse illos auctores, qui ad decernendum possibilitatem vel impossibilitatem multilocationis in rebus finitis recurrunt ad distinctionem inter praesentiam circumscriptivam, et definitivam. Haec quippe distinctio nihil ad rem facit, cum argumenta, quibus adstruitur impossibilitas multilocationis dimensivae, integrum robur habeant contra multilocationem definitivam. Quocirca Angelicus Doctor ob multipraesentiam corporis Christi sub variis speciebus diserte negat, Christum esse in sacramento vel dimensive vel definitive.

(1) 3 p. q. 76, a. 3 ad 1; cf. corpus articuli.

(2) 4 Sent. Dist. 10, q. 1, a. 3. solut. 2.

PROPOSITIO I.

Corpora naturaliter sunt impenetrabilia, idest vi suae quantitatis a loco quem occupant expellunt alia corpora; licet per divinam virtutem fieri possit, ut duo corpora compenentrentur, et simul eundem locum occupent.

Prob. 1.^a pars, nimirum corpora naturaliter esse impenetrabilia. Et primo quidem haec veritas, quae ceteroquin a nemine in dubium vocatur, constat certissima experientia, quae ostendit, nullum corpus locum alterius corporis ingredi, quin prius aliud e loco pellat. Accedit ratio a natura quantitatis petita. Siquidem proprius munus quantitatis est tribuere substantiae corporeae partes integrantes, quarum una est extra aliam, et sic resultat extensio per quam corpora commensurantur loco. Sed partes extra partes intelligi nequeunt, quin quaevis pars habeat proprium situm et propriam positionem et ordinem, tum inter se, tum relate ad locum, si corpus est in loco. Ergo partes integrantes alicuius corporis dimensionati ratione quantitatis, qua propriam positionem habent in loco, quocum commensurantur, ab illo loco partes alterius corporis, ideoque aliud corpus expellunt, cum eoque compenentri non sinunt.

Immo haec dumtaxat suppetit ratio, qua partes corporum et corpora discernimus, quatenus nempe una pars locum alterius partis non occupet, neque unum corpus occupet locum alterius corporis. Hanc doctrinam sic eleganter tradit Aquinas: « Distinctio secundum situm primo et per se convenit quantitati dimensivae, quae definitur esse quantitas positionem habens: unde et partes in subiecto ex hoc ipso distinctionem habent secundum situm, quod sunt subiectae dimensionis; et sicut est distinctio diversarum partium unius corporis secundum diversas partes unius loci per dimensiones, ita propter dimensiones diversa corpora distinguuntur secundum diversa loca. Duo enim corpora facit actualis divisio materiae corporalis; duas autem partes unius corporis divisibilitas potentialis. Unde et Philosophus dicit (IV *Physic.*) quod sicut subintrante cubo ligneo aquam vel aërem, oportet quod cedat tantum de aqua vel aëre; ita oporteret, quod cederet dimensiones separatae, si vacuum poneretur » (1).

Prob. 2.^a pars, nimirum per divinam virtutem non repugnare corporum compenentrationem. Doctores mediae aetatis communiter tuiti sunt, fieri posse per infinitam Dei virtutem plura corpora occupare simul eundem locum. Ex ipsa quippe S. Scriptura didicimus, corpora fuisse compenetrata, cum nimirum Jesus Christus, clausis ianuis, coenaculum ingressus est. De quo miraculo sic loquitur Augustinus:

(1) *Quaest. lib. 1, a. 21*; cf. opusc. in BOET. *De Trin.* q. 4, a. 3.

« Moli corporis, ubi divinitas erat, ostia clausa non obstiterunt. Ille quippe non eis apertis intrare potuit, quo nascente virginitas matris in violata permansit » (1). Communem veterum Scholasticorum sententiam deseruit Durandus (2) cum suis sectoribus, quibus pauci recentes Scholastici adscipulati sunt, quorum sententia vehementer placuit Lockio, qui docuit, principio contradictionis adversari, duas substantias eiusdem speciei eundem locum occupare. Porro quod cum principio de contradictoriis pugnat, ne per divinam quidem virtutem posse fieri apud omnes in confesso est.

Verum contra hos sic concludi potest ratio. Corpora occupant diversa loca propter diversas dimensiones secundum situm. Atqui Deus causa prima totius esse potest sine causis secundis conservare in esse effectus earundem. Ergo potest conservare distinctionem materiae absque diversitate situs. Audi S. Thomam: « Duo corpora esse in eodem loco prohibentur ex dimensionibus, quia materia corporalis secundum dimensiones dividitur, dimensiones autem distinguuntur secundum situm. Deus autem, qui est omnium causa prima, potest conservare effectus in esse sine causis proximis; unde, sicut conservat in sacramento Altaris accidentia sine subiecto, ita potest conservare distinctionem materiae corporalis absque diversitate situs » (3). Argumentum S. Doctoris eo recidit, ut dicatur: Diversitas in esse inter duo corpora causatur a diversitate situs qua dimensiones unius separantur a dimensionibus alterius. Sed Deus potest conservare effectus in esse sine causis secundis et proximis. Ergo potest conservare distinctionem in esse duorum corporum absque distinctione situs, quam dimensiones naturaliter exigunt (4).

PROPOSITIO II.

Absolute repugnat, corpus aliquod posse dimensione occupare plura loca seu multilocari. Similiter repugnat, praesentiam localem definitivam alicuius entis finiti posse multiplicari.

Sensus utriusque partis propositionis colligitur ex iis, quae disputavimus de diversis modis essendi in loco, qui revocandi sunt in memoriam.

Prob. 1.^a pars. Arg. 1.^{um} Corpus dimensione existens in uno loco, suis dimensionibus replet capacitatem sui adaequati continentis; haec est enim ratio loci proprii; ideoque corpus dicitur circumscribi loco, eique configurari. Sed si corpus posset sua quantitate occupare

(1) Tract. 121 in JOAN. n. 4.

(2) 4 Sent. Dist. 44.

(3) Quodlib. 1, a. 22.

(4) Cf. S. THOM. 4 Sent. Dist. 44, q. 2, a. 2.

diversa loca, idest commensurari diversis superficiebus continentibus, dicendum esset, eius dimensiones sine mutatione et augmento crescere secundum mensuram diversorum locorum, idest quantitatem, seu dimensiones unius cubiti esse simul duorum, trium, quatuor cubitorum, et quantitatem unius cubiti commensurari quantitati centum cubitorum, quod ipsa principia matheseos subverteret.

Arg. 2.^{um} Si corpus aliquod supponitur multilocari dimensione, idest ratione suae quantitatis occupare diversa loca, adstruitur a seipso divisum, quia a seipso localiter distans. Atqui dicere, aliquid individuum esse a seipso divisum, est pugnantia secum coniungere. Ergo. Audiatur S. Thomas: « Aliquod corpus esse localiter in aliquo loco, nihil aliud est, quam corpus circumscribi et comprehendi a loco secundum commensurationem propriarum dimensionum. Quod autem comprehenditur a loco aliquo, ita est in ipso loco, quod nihil eius est extra locum illum; unde ponere quod sit localiter in hoc loco, et tamen sit in alio loco, est ponere contradictoria esse simul » (1).

Et re vera corpus locum occupat ratione suae quantitatis; sed eadem quantitas non potest plura loca replere; nam de ratione continui est, ut sit indivisum; illa vero quantitas, si poneretur in pluribus locis, esset divisa, cum inter eius superficies aliquid medium interponeretur. Ergo absolute repugnat, corpus aliquod occupare plura loca.

Prob. 2.^a pars, nimirum omne ens quod definitive est in aliquo loco non posse extendi ad alia loca. Esse enim definitive in aliquo loco, significat, esse ibi in loco commensurato suae quantitati vel suae virtuti. Atqui si ens illud posset alibi esse, primus locus esset commensuratus, et non esset commensuratus quantitati vel virtuti, quod est sibi contrarium et pugnant. Ergo repugnat, aliquid ens esse pluribus in locis definitive. Sic neque Angelus potest esse definitive in pluribus locis; nam eius virtus, per quam definitur ad aliquem locum, si ad alium extenderetur, esset simul definita et indefinita, commensurata et incommensurata, quod intelligi nequit. Quocirca ratio repugnantiae est eadem in multilocatione dimensionis, et in multilocatione definitiva; ideoque magis sibi concinunt illi auctores, qui utramque esse possibilem profitentur, quam illi, qui admittunt repugnantiam circumscriptionis multilocationis, et eam inficiantur pro praesentia definitiva. Hoc omnino ad arbitrium dicitur, et immutando nativum sensum praesentiae definitivae in loco, quae in eo dimensionis opponitur, quod in dimensionis applicatio ad locum fit per quantitatem locati, in definitiva per eius virtutem; non autem in hoc quod prima non possit excedere capacitatem sui loci adaequati, altera autem illud possit. Hinc Angelicus loquens de duplici praesentia ait: « Corpus est in loco circumscriptive, quia commensuratur loco. Angelus autem non loco

(1) Quodlib. 3, a. 2.

cumscriptive, cum non commensuretur loco, sed definitive, quia ita est *in uno loco quod non in alio* » (1). Mirabile profecto est, fautores multilocationis definitivae citare pro sua sententia auctoritatem Doctoris Angelici, qui praecise probat, Jesum Christum non esse in sacramento Altaris *definitive*, quia si esset definitive, non posset esse in pluribus locis, uti vidimus in locis superius citatis (2).

Argumentum ergo petitum a multiplici praesentia corporis J. Christi in sacramento inefficax omnino censendum est, quia praesentia sacramentalis toto caelo differt a praesentia dimensionata et definitiva. Siquidem corpus Dominicum coniungitur pluribus locis non per suam quantitatem, neque per suam virtutem, sed per conversionem substantiae panis in ipsum, remanentibus dimensionibus substantiae conversae. Sed haec ad Theologos. Neque melius concludit argumentum ductum ex apparitionibus Sanctorum in pluribus locis, uti ostendit inter alios Silvester Maurus (3).

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

Oppon. 1.^o Corpus non prohibetur esse in eodem loco cum alio corpore propter suas dimensiones. Sicut enim punctum se habet ad punctum, et linea ad lineam, et superficies ad superficiem, ita corpus ad corpus relate ad locum. Atqui duo puncta, duae lineae, duae superficies possunt esse in eodem loco, quando se tangunt, quia tangencia sunt, quorum extrema sunt simul. Ergo duo corpora possunt simul esse in eodem loco.

Resp. Neg. assumptum. Ad probationem, *Neg. paritatem*. Ratio disparitatis est, quia puncto, lineae, et superficiei non debetur locus per se, sed per accidens; nimirum quia terminant corpus cui per se debetur locus. Quocirca non sequitur: si termini corporum sese tangentium sunt simul; ergo duo corpora possunt esse simul in eodem loco; meritoque haec ratio inter sophisticas ponitur a Philosopho (IV *Physic.*). Locus enim non circumscribit neque punctum, neque lineam, neque superficiem, sed corpus, et corpore mediante haec omnia; cum locus divisibilis nequeat metiri vel circumscribere indivisibilia. Ad rem S. Thomas: « Puncto non convenit esse locum. Unde si dicatur esse in loco, hoc non est nisi per accidens, quia corpus cuius est terminus, est in loco. Sicut autem totus locus respondet toti corpori, ita terminus loci respondet termino corporis. Contingit autem duorum locorum esse unum terminum, sicut et duas lineas terminari ad unum punctum; et ideo quamvis duo corpora non possint esse in eodem loco, tamen duobus terminis duorum corporum

respondet idem terminus duorum locorum, et secundum hoc dicuntur ultima corporum se tangentium esse simul » (1).

Oppon. 2.^o Duo corpora non possunt esse simul per divinam virtutem in eodem loco. Nam locus proportionaliter respondet locato. Atqui unum corpus neque divina virtute potest esse in duobus locis per suas dimensiones. Ergo neque duo corpora possunt esse simul in uno loco.

Resp. Neg. assumptum. Ad rationem additam, *Neg. paritatem*. Siquidem in primo casu habetur vera contradictio, non vero in secundo. Rem ita explicat Angelicus: « Unum corpus esse simul localiter in duobus locis non potest fieri per miraculum, quamvis miraculose possit fieri quod duo corpora sint in eodem loco; quia esse in pluribus locis simul repugnat individuo ratione eius, quod est esse indivisum in se; sequeretur enim, quod esset distinctum in situ. Sed esse cum alio corpore in eodem loco repugnat ei quantum ad hoc, quod est esse divisum ab alio, ut ex dictis patet. Ratio autem unius perficitur in indivisione. Sed divisio ab aliis est de consequentibus ad rationem unius. Unde quod idem corpus sit localiter simul in diversis locis includit contradictionem, sicut quod homo careat ratione; sed duo corpora esse in eodem loco non includit contradictionem, et ideo non est simile » (2).

Oppon. 3.^o Si duo corpora essent in eodem loco, esse eorum non distingueretur; nam distinctio corporum procedit a quantitate habente proprium situm et positionem. Atqui si esse non distinguitur, fiunt unum corpus. Ergo repugnat compenetratio.

Resp. Dist. mai. Si essent per miraculum, non distinguerentur, *Neg.* Si essent naturaliter, *Con.*

Explicio. Responso patet ex dictis in propositione. Licet enim naturaliter duo corpora non possint conservari distincta in esse, nisi eorum respectiva quantitas habeat diversum situm, tamen hoc per miraculum evenire potest, conservante Deo diversitatem subiectorum sine diversitate situs, quia Deus potest conservare effectum sine causis proximis, et secundis (3).

Oppon. 4.^o Contra impossibilitatem reduplicationis. Corpus J. Christi est simul in pluribus locis. Atqui si reduplicatio tum dimensionata, tum definitiva repugnaret, non posset esse in pluribus locis. Ergo.

(1) 4 *Sent. Dist. 44, q. 2, a. 2, solut. 2 ad 5.*(2) 4 *Sent. Dist. 44, q. 2, a. 2, solut. 3 ad 4*; cf. etiam S. BONAV. eodem loc. solut. 3 corp.(3) Ad pleniorum solutionem difficultatis cf. S. THOM. 4 *Sent. Dist. 44, q. 2, a. 2, solut. 3 ad 2*; in BOET. *De Trin.* q. 4, a. 3 ad 1; *Quodlib.* 1, a. 22, quibus in locis aliae difficultates solvuntur.

(1) 1 p. q. 52, a. 2.

(2) 4 *Sent. Dist. 10, q. 1, a. 3, solut. 2, et 3 p. q. 76, a. 5 ad 1.*(3) *Quaest. phil.* vol. II, q. 28 ad 4.

Resp. Dist. mat. Corpus J. Christi in sacramento comparatur ad locum per suam quantitatem vel per suam virtutem, *Neg.* Ratione substantiae panis, quae in Ipsum convertitur, remanentibus accidentibus substantiae conversae, *Conc. Contradist. min.*

Explico. Triplex distinguendum est ubi vel modus essendi in loco, uti monuimus, nimirum dimensive, definitive, sacramentaliter. Primus et secundus modus ratione naturali percipitur; tertius superat omnem captum humanae mentis et deducitur ex mysterio Eucharistiae et transubstantiationis. In primo et secundo modo multilocatio implicat contradictionem; in tertio autem non repugnat, quia corpus Christi non comparatur ad locum per suam quantitatem vel per suam virtutem, quae una est et finita; sed per conversionem alterius in ipsum, quae multiplex esse potest, et est ad multiplicitatem consecrationis.

Oppon. 5^o Angelus potest extendere, seu applicare suam virtutem ad diversa loca. Ergo multilocatio definitiva non repugnat.

Resp. Dist. ant. Potest applicare suam virtutem ad diversa loca inadaequata, *Conc.* Adaequata, *Neg.* et *Neg. cons.*

Explico. Cum dicitur aliquid esse definitive in loco per applicationem suae virtutis, hoc intelligitur de loco adaequato; nam si locus non adaequaretur suae virtuti, non posset dici esse ibi definitive, licet esset illocaliter. Sic anima humana licet in manu et in capite sit illocaliter, non est tamen ibi definitive, quia extenditur etiam per informationem et communicationem suae virtutis ad alias partes corporis. Verum in toto corpore dicitur esse definitive; nam ultra extendi nequit, cum repugnet, animam informare duo corpora. Recole locum S. Thomae a nobis superius citatum, in quo explicat quid sit de ratione praesentiae definitivae.

QUAESTIO IV.

De principiis et causis extrinsecis rerum naturalium.

CONTINUATIO RERUM. In Philosophia naturali tradenda, hactenus disputatum a nobis est de principiis intrinsicis rerum corporatarum, nempe de causa materiali et formali, ex quibus corpora coalescunt, et de praecipuis quibusdam proprietatibus, quae ex huiusmodi substantiis compositis enascuntur: nunc ad expletam huius materiae tractationem, ipse instituti nostri ordo postulat, ut aliquid dicamus de principiis extrinsecis substantiarum materialium, nempe de causa efficiente et finali. Cum autem principium, ex quo in rebus oritur vis activa, per quam corpora et revera operantur, et operantur propter determinatum finem, dicatur *natura*, praesentem quaestionem ita dispartiemur, ut primo agemus de ipsa notione et existentia naturae seu de substantia prout est principium operationis; deinde de activitate rerum corporalium; et demum de earumdem finalitate.

ARTICULUS I.

DE CONCEPTU ET DEFINITIONE NATURAE.

QUID NATURA? In quaestione hac enodanda definitionem illam naturae proponemus et vindicabimus, quae Aristoteles, II *Physic.* cap. I, et V *Metaph.* cap. IV, sapientissime tradidit. Siquidem Philosophus ad naturae definitionem inquirendam et efformandam, in antecessum explanat, quid intersit inter res naturales, idest inter res, quae a natura gignuntur, et illas quae ab aliis causis proficiscuntur, nempe ab arte vel casu. Exempla primi generis sunt animantia eorumque partes, plantae et stirpes, et etiam corpora inanima. Exempla secundi generis sunt domus, lectica, currus. Iam vero quae producuntur a natura hoc differunt ab iis, quae sunt ab arte, quod prima *ut talia* videntur habere in se principium alicuius motus et quietis, quaedam secundum locum, quaedam secundum augmentum et decrementum, uti animalia et plantae, quaedam secundum alterationem, uti corpora elementaria, et corpora mista. Ex adverso ea, quae sunt ab arte, uti domus, indumentum, lectica, *qua talia* nullius motus vel mutationis principium in se habent, nisi per accidens, in quantum substantia rerum ab arte profectarum est res naturalis: cultellus quippe fertur deorsum ad lineam, non quia cultellus, sed quia ferreus. His notatis, definitionem naturae hac propositione exhibebimus.